Quelle: http://manuscripta.at/?ID=912
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



supatur: huic & seruus addicitur. Et iterum scriptum est. Si totam
legem quis impleuerit . offendat autem in uno . factus est reus omnium .
Credo domine quia miserationes tue multe sunt . que me nullis
subnixum meritis adiuuabunt. Viam sanctorum tuorum per te illu-
minatus ingrediar. & in anteriora me semper extendens obliuis-
car ea que retro sunt. Sic enim famulorum tuorum chorus qui tibi a seculo pla-
cuit tuo protectus auxilio . diaboli uitauit incursus. & longe late-
que pro multorum salute mirabili decore resplenduit. Ego autem domine quomodo
alios docere temptabo quos per me ad monachorum propositum
uocare dignaberis . cum nec passiones carnis que aduersus ani-
mam militant uicerim . nec legem tuam inmaculatam mente serua-
uerim. Sed confido christe ut tua michi uirtus in omnibus semper
assistat . eaque geram que tuis conspectibus placeant. Remitte
clementissime deus remitte michi peccatori omnia peccata mea . &
cor meum tua iugi inspiratione purifica . hoc ergo cum lacrimis
domino confitebatur & fletibus tota nocte peruigil in oratione con-
sistens. & pre nimietate sudoris atque lacrimarum nam tempus erat esti-
uum . ita pauimentum ubi orauerat humectum reddidit . ut
fusa illic aqua crederetur. Consueuerat autem stans in oratione
manus suas expandere . quas per aliquantarum horarum spacia minime
colligebat. Sed extensione diutina ueluti cruci affixum corpus
retinebat inmobile . & sic animum suum ad uigilandum
in precibus exercitabat. Et quia uir esset in omni uirtutum genere
prepotens . incredibili tamen & mira mansuetudine cum
suo germano cohabitans . eum per omnia sustinebat . qui non